

GLÓRIA in excélsis Deo et in terra pax homínibus bonæ voluntátis. Laudámus te. Benedícimus te. Adorámus te. Glorificámus te. Grátias ágimus tibi propter magnam glóriam tuam. Dómine Deus, Rex cæléstis, Deus Pater omnípotens. Dómine Fili unigénite, Iesu Christe. Dómine Deus, Agnus Dei, Fílius Patris. Qui tollis peccáta mundi, miserére nobis. Qui tollis peccáta mundi, súscipe deprecationem nostram. Qui sedes ad dexteram Patris, miserére nobis. Quóniam tu solus Sanctus. Tu solus Dóminus. Tu solus Altíssimus, Iesu Christe. Cum Sancto Spírítu: in glória Dei Patris. Amen.

MUNDA cor meum ac labia mea, omnípotens Deus, qui lábia Isaíæ prophétæ cálculo mundásti igníto: ita me tua grata miseratióne dignáre mundáre, ut sanctum Evangélium tuum digne váleam nuntiáre. Per Christum Dóminum nostrum. Amen.

ITUBE, Dómine, benedícere. Dóminus sit in corde meo et in lábiis meis: ut digne et competénter annúntiem Evangélium suum. Amen.

CREDO in unum Deum, Patrem omnipoténtem, factórem cæli et terræ, visibílium ómnium et invisibílium. Et in unum Dóminum Iesum Christum, Fílium Dei unigénitum. Et ex Patre natum ante ómnia sæcula. Deum de Deo, lumen de lúmine, Deum verum de Deo vero. Génitum, non factum, consubstantiálem Patri: per quem ómnia facta sunt. Qui propter nos hómines, et propter nostram salutem, descendit de cælis (*Hic genuflectitur*). Et incarnátus est de Spírítu Sancto ex María Vírgine: ET HOMO FACTUS EST. Crucifixus étiam pro nobis: sub Póntio Piláto passus et sepúltus est. Et resurrexit tértia die, secúndum Scriptúras. Et ascendit in cælum, sedet ad dexteram Patris. Et iterum ventúrus est cum glória iudicáre vivos et mórtuos: cujus regni non erit finis. Et in Spírítum Sanctum Dóminum et vivificántem: qui ex Patre Filioque procedít. Qui cum Patre et Filio simul adorátur et conglorificátur: qui locútus est per prophétas. Et unam, sanctam, cathólicam et apostólicam Ecclésiám. Confíteor unum baptísma in remissionem peccatórum. Et exspécto resurrectionem mortuórum, et vitam ventúri sæculi. Amen.

SÚSCIPE, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus, hanc Simmaculátam hóstiam, quam ego indignus fámulus tuus offero tibi Deo meo vivo et vero, pro innumerabílibus peccátis, et offensionibus, et neglegéntiis meis, et pro ómnibus circumstántibus, sed et pro ómnibus fidélibus christiánis vivis atque defúntis: ut mihi, et illis proficiat ad salutem in vitam ætérnam. Amen.

OFFÉRIMUS tibi, Dómine, cálicem salutáris, tuam deprecántes cleméntiam: ut in conspéctu divínæ maiestátis tuæ, pro nostra et totius mundi salute, cum odóre suavitátis ascendat. Amen.

IN spírítu humilitátis et in ánimo contríto suscipiámur a te, Dómine: et sic fiat sacrificium nostrum in conspéctu tuo hódie, ut pláceat tibi, Dómine Deus.

VENI, sanctificátor omnípotens ætérne Deus: et béne ✠ dic hoc sacrificium, tuo sancto nómini præparátum.

Accipiens in manibus Hostiam dicit:

QUI pridie quam paterétur, accépit panem in sanctas ac venerábiles manus suas, et elevátis óculis in cælum ad te Deum Patrem suum omnipoténtem, tibi grátias agens, bene ✠ dixit, fregit, dedítque discíplis suis, dicens: Accípíte, et manducáte ex hoc omnes.

Hoc est enim Corpus meum

SÍMILI modo postquam cenátum est, accípiens et hunc præclárum Cálicem in sanctas ac venerábiles manus suas: item tibi grátias agens, bene ✠ dixit, dedítque discíplis suis, dicens: Accípíte, et bíbite ex eo omnes.

**Hic est enim Calix Sanguinis mei,
novi et ætérni testaménti:
mystérium fidei: qui pro vobis
et pro multis effundétur in
remissionem peccatórum**

Hæc quotiescúmque fecéritis, in mei memóriam faciétis.

SÚSCIPE, sancta Trínitas, hanc oblatiónem, quam tibi offerimus ob memóriam passiónis, resurrectionis et ascensionis Iesu Christi, Dómini nostri: et in honórem beátæ Mariæ semper Vírginis, et beáti Ioánnis Baptístæ, et sanctórum Apostolórum Petri et Pauli, et istórum, et ómnium Sanctórum: ut illis proficiat ad honórem, nobis autem ad salutem: et illi pro nobis intercédere dignéntur in cælis, quorum memóriam ágimus in terris. Per eúndem Christum Dóminum nostrum. Amen.

Particulam Hostiæ imponit in Calicem, dicens secreto:

HÆC commíxtio, et consecrátio Córporis et Sanguinis Dómini nostri Iesu Christi, fiat accipiéntibus nobis in vitam ætérnam. Amen.

Ante sumptionem Sacramenti, inclinatus dicit:

DÓMINE Iesu Christe, qui dixísti Apóstolis tuis: Pacem relínquo vobis, pacem meam do vobis: ne respicias peccáta mea, sed fidem Ecclésiæ tuæ; eámque secúndum voluntátem tuam pacifíare et coadunáre dignéris: Qui vivis et regnas, Deus, per ómnia sæcula sæculórum. Amen.

DÓMINE Iesu Christe, Fili Dei vivi, qui ex voluntáte Patris, cooperánte Spírítu Sancto, per mortem tuam mundum vivificásti: líbera me per hoc sacrosánctum Corpus et Sanguinem tuum ab ómnibus iniquitatibus meis et univérsis malis: et fac me tuis semper inhærere mandátis, et a te numquam separári permíttas: Qui cum eódem Deo Patre et Spírítu Sancto vivis et regnas, Deus, in sæcula sæculórum. Amen.

PERCÉPTIO Córporis tui, Dómine Iesu Christe, quod ego indignus súmere præsumo, non mihi provéniat in iudícium et condemnatióem: sed pro tua pietáte prosit mihi ad tutaméntum mentis et córporis, et ad medélam percipiéndam: Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spírítus Sancti, Deus, per ómnia sæcula sæculórum. Amen.

Ante Benedictionem, inclinatus dicit:

PLÁCEAT tibi, sancta Trínitas, obséquium servitútis meæ: et præsta; ut sacrificium, quod óculis tuæ maiestátis indignus obtuli, tibi sit acceptábile, mihi que et ómnibus, pro quibus illud obtuli, sit, te miseránte, propitiábile. Per Christum Dóminum nostrum. Amen.